



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quòd ei tria debeamus, fidem, dilectionem, & timorem perfectum: nam
haec est gloria, quam nulli alteri dabit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

ni multi, nobis tamē vnus est Deus, qui est pater
ex quo omnia, & nos per illum: & vnus Dominus
Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illū. Eph.
Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, vnus
Deus & pater omnium, qui est super omnia, & in omnia
nobis. 1. Tim. 2. Vnus est Deus, vnus etiam conciliator
Dei & hominum, homo Christus Iesus, & Pater.
Quis est Deus præter Dominum? aut quis Deus præter
Deum nostrum? Credere igitur, esse vnum verum
Deum, magna est gratia, pro qua etiam Christus
suo recessu petijt, Ioan. 17. Hæc est vita æterna, scilicet
ut cognoscant te solum verum Deum, & quem
seruasti &c.

2. Illi vnico & vero Deo nostro debemus tria: primò
perfectam fidem, vt scilicet illi ex toto corde confi-
demus. nam verax est & fidelis, & seruat irrefragabile
ter quæ promisit & dixit, impossibile enim est Deo
mentiri, Hebr. 9. Deus verax est, Roma. 3. Ioan. 3. De-
us est summa veritas: nulli ergo creaturæ super
terram sic debemus cōfidere, sicut Deo Domino nostro
deindè debemus illi perfectam dilectionem. Deut. 10.
Diliges Dominū Deum tuum ex toto corde tuo, & ex
dimidio corde, sed toto: nam omne bonū venit ab
Deo, & nos tamē non meruimus, sed ipse ex pura gratia
& fauore donat. Ideò nulla creatura in toto mundo
esse debet, quā sic ex toto corde diligere debemus
sicut Deū Dominum nostrū. Tertiò, debemus illi firmum
& perfectum timorē, vt super omnia ipsum
timeamus, nā ipse punit malos, Deut. 6. Dominū De-
um tuū timebis. Perfectā igitur fidem, dilectionem & timorē
morem, Dño debemus: Hi sunt præcipui cultus in-
terius, quos Deus exigit: in his consistit perfectio Spiritus
inchoatur vita æterna in nobis. Sed quoniam natura
hominis corrupta est vitio originis, igitur heret
nobis dubitatio, ne perfectè Deo cōfidamus: carnalitas
tas, vt magis amemus carnalia, quā Deum: securitas
carnalis.

carnalis, ut non verè Deū timeamus. Igitur infirma
 nostra natura nō potest satisfacere huic legi, & semp
 accusat nos hęc lex, q̄ Deo nunquā tantū confidi-
 mus, diligimus & timemus sicut deberemus. Igitur
 oportet addere legi Euangeliū de Christo, & de remis-
 sione peccatorū: non possunt corda humana Deo per-
 feste credere, diligere, & timere, nisi primum intelli-
 gant Deū placatū esse. Cū igitur terrefacti agnitio-
 ne peccatorū nostrorum audimus nobis donari re-
 missionem peccatorū nostrorum p̄pter filium Dei
 Iesum Christum, qui pro nobis factus est victima:
 Hac consolatione eriguntur mentes, & incipiunt cre-
 dere & confidere Deo, quòd nobis sit p̄pitius: agno-
 scunt igitur eius misericordiā & statuunt se respici &
 exaudiri: ideo incipiunt eum diligere. Sunt igitur ve-
 ri cultus interiores, timor, fides, dilectio: & hęc tria
 eriguntur per primū Dei p̄ceptum. Quisquis ali-
 quam creaturam siue in cœlo siue in terra sic timet,
 confidit & diligit, is ex illa faceret Deum falsum &
 alienum: quod esset graue peccatum, quod terribili-
 ter Deus punit, nā dicit Esa. 42. Ego sum Dominus,
 hoc est nomen meum, gloriā meam alteri non dabo:
 hoc est, Deus pati non vult, ut aliquid aliud pro Deo
 habeatur, aut quòd illi diuinus honor exhibeatur,
 nec in corde, nec in verbis, nec in operibus: Nihil er-
 go sic timeri, diligi aut in fiduciā poni debet à nobis
 super omnia: sicut Deus solus noster. Quicumq; igitur
 Deum alienū quęsierit, & gloriā illam quę soli
 Deo debetur, illi exhibuerit, is idolum sibi proprium
 facit. Ideò admonet Apost. & inquit, Nolite effici i-
 dolatre 1. Cor. 10. id est, in solum verum nostrum po-
 nite fiduciam, dilectionem & timorem super omnia,
 ut nihil æquale illi censeatur.

Transgressores huius primi p̄cepti sunt multi,
 quanuis non velint dici de illis, q̄ habeant Deos alie
 nos. Et primò sunt illi, qui sic timēt aut signa cœli,

aut